



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio XII. De Beatitudine Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

cundo, Actus primus, & actus secundus, sunt correlatiua; nec est vllus actus secundus, qui non supponat primum; Ergo si actus secundus in Deo est, etiam primus erit. Tertio. Datur communis quidam conceptus potentia, ratione ab actu secundo distinctus, qui verè Deo conuenit; nimirum esse perfectionem, qua quis possit agere; siue potentia & actio re ipsa differant; & siue actus secundus verè procedat ab actu primo; siue non. Quarto. Deus re ipsa intelligit & vult; Ergo potest etiam intelligere & velle; adeoque habet potentiam intelligendi & volendi; qui conceptus est potentia, seu actus primi; non actus secundi. Denique inter omnes ferè Doctores constat, vt dictum, verè ac proprie in Deo esse potentiam actiuam seu productiuam ad intra, respectu personæ productæ; & tamen nulla à parte rei est realis processio actionis notionalis à persona producente; imo forte nec potentia productiua, prout præcisè dicitur principium producendi, est aliquid re ipsa distinctum ab essentia; ipsique personis productis, vt suo loco fusiùs dicitur. Cur non ergo hic etiam, non obstante identitate ipsius intellectus & intellectiois, dicitur non solum ipsa intellectio, sed ipsa etiam potentia intelligendi in Deo esse?

7 Ad fundamentum contrariæ sententiæ vtrumque, Respondetur primo; si quid probaret, etiam probaturum, non esse in Deo actionem, siue actum secundum; cum non minus sit de ratione actionis immanentis, siue actus secundi, vt re ipsa eliciatur, & perficiatur potentiam, quam de ratione potentia & actus primi, vt perficiatur & eliciatur secundum; vt etiam in prima probatione assertionis dictum.

Respondetur secundo, de potentia & actu dupliciter loqui nos posse. Primo stricte, vt per potentiam significetur principium aliquod verè & proprie effectiuum alicuius actionis; quæ proinde vicissimaliter etiam significet re ipsa procedens à principio; & hoc sensu proprie in Deo, nec est actus primus, nec secundus: nec potentia actiua, nec actio; loquendo de actibus immanentibus: cum in Deo nulla prorùs à parte rei sit inter ea, quæ retulimus, diuersitas. Secundo eadem considerari possunt late & abstractè, atque communiore quadam ratione; vt nimirum potentia significet præcisè perfectionem, qua quis potest agere; actio vero, id quo quis formaliter agit; siue actio & potentia re ipsa differant, vnumque ab altero re ipsa procedat, alterumque perficiat, siue non: & hoc sensu verè ac proprie vtrumque Deo tribuimus; nec conceptus vnus, est conceptus alterius, vt patet. Neque ad rationem potentia hoc sensu requiritur, vt re ipsa sit aliquid perfectibile ab actu immanente; neque vt re ipsa producat actum secundum: sed solum vt cogitur potentia tanquam aliquid, cui secundum rationem nostram aduenire possit ratio actionis, quasi distincta & noua secundum rationem perfectio, item vt actio cogitur per modum quasi perfectionis superadditæ potentia, & ab ea secundum nostram intelligendi modum quasi procedentis; vt in simili etiam suo loco de proprietatibus & attributis diuinis in genere diximus. Atque hæc de diuina potentia  
fatis.

## QVÆSTIO XII.

### De Beatitudine Dei.

S. Thomas. I. p. q. 26. aa. 4.

**A**bsoluetur hæc questio in duabus dubitationibus. I. An, & qua ratione Deus sit beatus. II. An beatitudo sit proprium & speciale attributum Dei; & qua ratione ad alia attributa Dei comparatur.

#### DVBIVM I.

An, & qua ratione Deus sit Beatus.

S. Thom. I. p. q. 26. a. 1. 2. 3. & 4.

**D**octrina vera, & orthodoxa S. Thomæ, hæc de re, in his assertionibus consistit.

Assertio I. Deus verè, proprie, ac formaliter est beatus. Ita S. Thomas q. 26. art. 1. nullo repugnante, & est de se, ex Scriptura I. ad Timoth. 6. vers. 15. *Quem suis temporibus ostendet Deus, beatus & solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Idem passim docent SS. Patres. Probatur à S. Thomæ ibidem. Quia beatitudo nihil aliud est, quam bonum perfectum (& supremum) intellectualis naturæ; suammet sufficientiam cognoscentis in bono, quod habet:

quorum vtrumque & perfectum scilicet esse, & intelligentem, excellentissimè Deo conuenit. Secundo. Beatitudo secundum Boetium lib. 4. de consolat. est status omnium bonorum aggregatione perfectus: atqui Deus est in statu omnium bonorum aggregatione perfectæ; non quidem quod in Deo sit aggregatio bonorum per modum compositionis: sed per modum simplicitatis; quia quæ in creaturis multiplicia sunt, in Deo præexistunt simpliciter, & vniunt, vt rectè idem S. Thomas cit. quest. 26. a. 1. ad 1. Tertio Beatitudo consistit in fruitione aut possessione summi boni: Deus

autem

autem dum seipso fruitur, & seque ipsum intrinsecè quasi possidet: summum vtique bonum possidet, ac seipso felicissimè fruitur, vt loquitur etiam S. Gregorius lib. 3. 2. moral. c. 5. vbi ait: *ipse gloriæ suæ, qui dum se ipse perficitur accedente laude indigens non est.* Neque refert, quod beatitudo in nobis habet rationem domini, vel præmissi, hoc enim per accidens fit, quia non est debita nostræ naturæ, sed operibus acquirenda: cum tamen Deo sit naturalis, & congenita, vt rectè S. Thomas cit. q. 26. a. 1. ad 2.

**Affertio II.** Beatitudo non continet Deo formaliter secundum essentiam, sed secundum operationem; & quidem intellectus, quia seipsum videt. Ita S. Thomas q. 26. art. 2. & communiter Doctores, speciatim Caietanus ibidem, & Gregorius de Valentia hic q. 26. punct. 1. Probat, quia beatitudo consistit in possessione intellectuali summi boni: hæc autem intellectualis possessio includit cognitionem, quia suum bonum, suamque perfectionem quisque cognoscit; absque hac enim illud esse quidem aliquis potest; sed beatus esse non potest: Ergo beatitudo nõ competit Deo formaliter ac præcisè secundum rationem essentia. Item beatitudo consistit in perfectione quadam vltimatâ, & suprêmâ intelligentis naturæ; talis autem est operatio intellectualis, non ipsa essentia, quæ secundum rationem nostram ipsa in intellectu quodammodo perficitur. Terrio. Beatitudo est obiectum ipsius voluntatis: Ergo non consistit in actu voluntatis, sed supponitur à voluntate; ac proinde est actus intellectus. Denique in cæteris beatis, cuiusque beatitudo consistit in visione Dei; quia iuxta S. Augustinum lib. 12. de ciuit. Dei, c. 29. *visio est tota merces.* Ergo idem proportionaliter de Deo sentiendum; quia beati assimilantur Deo in beatitudine, iuxta illud 1. Ioan. 3. v. 2. *similes ei erimus.*

**Affertio III.** Deus est summè ac infinitè beatus. Colligitur ex S. Thomæ cit. q. 26. a. 3. & 4. nec à quocquam negatur: quia ad summam & infinitam beatitudinem, in Dei visione positam, duo hæc requiruntur; primum vt obiectum ipsius visionis sit summum & infinitum; deinde vtiplacet etiam visio eiusdem sit summa & infinita; alioquin enim nec possessio eius boni erit summa & infinita: id vero vtrumque plane Deo conuenit; cum è contrario in beatitudine, quacunque creata, primum tantum illud reperiatur, vt docet S. Thomas cit. art. 3. ad 1. & 2. vbi rectè notat, Deum esse quidem beatitudinem cuiusque beati, sed obiectiuam, non formalem; seu finem vltimum cuius, & vt rem; non finem vltimum Quo, seu vt vsum, aut potius fruitionem rei; de qua distinctione finis Aristoteles in 2. physic. text. 24. & 2. de anim. t. 37. & plura in 1. 2. & supra quæst. 6. dub. 1. & 4.

**Affertio IV.** In beatitudine Dei eminenter includitur omnis beatitudo creata, seu quidquid est desiderabile in vlla beatitudine alia, seu verâ, seu falsa. Ita S. Thomas cit. quæst. 26. art. 4. omnibus consentientibus: & patet ex præcedenti assertione, quælibet enim diuina perfectio, hoc ipso, quod infinita est, continet eminenter aliam quamuis sibi similem, sui que generis, & quidquid in his est bonitatis, seu perfectionis. Accedit ratio ab inductione seu partium enumeratione. Quia, vt sapienter notauit S. Thomas cit. artic. 4. *beatitudo diuina, de contempla-*

*tina felicitate, habet continuam & certissimam contemplationem sui, & omnium aliorum: de actiua vero, gubernationem totius vniuersi. De terrena verò felicitate, quæ consistit in voluptate, diuitijs, potestate, dignitate, & fama, secundum Boetium in 3. de consol. habet gaudium de se, & de omnibus alijs, pro delectatione. Pro diuitijs habet omnimodam sufficientiam, quam diuitie promittunt. Pro potestate omnipotentiam. Pro dignitate omnium regimen. Pro fama verò admirationem totius creatura.*

## DVBIVM II.

*An Beatitudo sit proprium, & speciale attributum Dei; & quæ ratione ad alia attributa diuina comparetur.*

S. Thomas 1. p. q. 26. a. 2.

**N**ihil S. Thomas hac de re disertè scribit; nisi quod initio quæstionis 26. priusquam de beatitudine diuina agere incipiat, ita præfatur: *Vltimo autem post considerationem eorum, quæ ad diuinæ essentia vnitatem pertinent, considerandum est de diuina beatitudine.* Et rursum in fine eiusdem quæstionis, ita concludit: *Et hæc dicta sufficiant, de his, quæ pertinent ad diuinæ essentia vnitatem:* ex quibus nihil firmum in vtramuis partem videtur colligi posse; neque ferè etiam alij Doctores hac de re quicquam attingunt; nos tamen rem paucis ita explicamus.

**Affertio I.** Beatitudo pertinet ad rationem attributalem Dei, non essentialem. Hæc est aperta doctrina S. Thomæ hic q. 26. art. 2. ad 1. vbi ait: *Deum esse quidem beatum secundum suam essentiam; beatitudinem tamen ei non conuenire secundum rationem essentia, sed magis secundum rationem intellectus.* Ratio sumitur ex dub. præced. assert. 2.

**Affertio II.** Beatitudo propriè est attributum Dei. Est mens S. Thomæ, & aliorum Doctorem, quando cum cæteris attributis diuinis beatitudinem connumerant. Ratio est; quia attributum diuinum propriè, & verò etiam strictè acceptum, plus nõ requirit, quam vt sit prædicatum diuinum, posituum, absolutum, non essentialè, sed quasi secundum rationem nostram consequens essentiam; vt supra quæst. 2. fusius explicatum; hoc autem totum conuenit beatitudini diuinæ, ex dictis.

**Affertio III.** Beatitudo videtur attributum diuinum, ab alijs attributis diuinis, hæcenus pertractatis, diuersum. Videtur etiam mens S. Thomæ, & aliorum Doctorem, quando de hac, non minus, quam de alijs attributis seorsim ac distinctè agunt. Et in ipsa illa sua præfatiuncula, superius commemorata, satis apertè indicat S. Thomas, beatitudinem esse quiddam à cæteris, quæ ad diuinæ essentia vnitatem pertinent, antea explicatis, distinctum. Ratio est; quia si non esset distinctum attributum, propterea non esset, quia esset idem cum scientia diuina, in qua beatitudinem collocatam à S. Thomæ præcedenti dubio vidimus: sed hoc non est; quia tametsi obiectiue sit ipsa scientia diuina, quia Deus seipsum comprehendit, est tamen alia ratio formalis beatitudinis; alia scientia: quod tum ex declarata ratio-

ne, & conceptu beatitudinis præced. dub. explicato, tum ex eo etiam patet, quia supposito etiam conceptu beatitudinis, magna adhuc est controuersia inter Doctores, ut in 1. 2. docetur, an beatitudo rationalis, seu intelligentis naturæ consistat in actu intellectus, an voluntatis, an alio, &c. Præterquam quod multi, nullam veram Deifcientiam habentes, alijs rebus se beatos prædicant, generali quadam ratione, & conceptu beatitudinis. Est ergo alia ratio formalis scientiæ, alia beatitudinis; ac proinde beatitudo formaliter, & secundum nostrum concipiendi modum, rectè distingui potest tum à cæteris attributis, tum à scientia Dei.

3 Assertio I V. Attributum hoc pertinet ad illa attributa, quæ ad operationem diuinam spectant; non quasi operationem ab alijs distinctam continens, sed rationem distinctam certæ operationi annexam. Colligitur ex dictis: quia beatitudo diuina consi-

stet quidem reipsa in scientia diuina, qua Deus seipsum comprehendit; sed rationem tamen ei formalem distinctam superaddit, ut dictum.

Obijcies. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ergo beatitudo etiam diuina, consistit in aggregatione omnium perfectiorum, & attributorum diuinorum: adeoque non est peculiare attributum à cæteris distinctum. Respondeo, Beatitudinem illic non definiri præcisè secundum essentialia, seu conceptum essentialiter; sed secundum ea etiam, quæ Beatitudiniantecedenter, vel consequenter sunt coniuncta. Alias enim sequeretur, etiam beatitudinem creatam essentialiter consistere, tam in bonis corporis, quam animæ, &c. Atque hæc de Deo & attributis diuinis (exceptis, ut initio monui, prouidentia & prædestinatione diuina, de quibus disput. sequenti agendum) ad laudem magni Dei dicta sufficiant,

FINIS DISPUTATIONIS SECVNDÆ.

INDEX DISPUTATIONIS III.

DE PROVIDENTIA AC PRÆDESTINATIONE  
diuina.

Quæstio I. De Prouidentia Dei.

Dubium I. Quid generatim sit prouidentia; an sit actus intellectus, an voluntatis, & qualis.

II. An in Deo sit Prouidentia; cum omnia subijciantur.

III. Qua ratione res creata subijciantur diuine Prouidentia; an omnia immediate; ac etiam veluti subiecta quadam, aut termini, seu effectus diuine Prouidentia.

IV. Vtrum prouidentia diuina sit infallibilis; semperque consequatur finem, ad quem ordinat & præparat media.

V. An & qua ratione diuina Prouidentia conciliari possit, cum libertate arbitrii creati: speciatim ex mente S. Thomæ; & quid de fato ac fortuna sentiendum.

Quæstio II. De natura & essentia diuine Prædestinationis.

Dubium I. Quid tum in genere, tum hoc loco, per diuinam Prædestinationem intelligatur; de quo eius obiecto, subiecto, & termino in communi: & denique an in Deo sit prædestinatio.

II. Quidnam essentialiter & formaliter sit diuina Prædestinatio; actu ne voluntatis, an intellectus, & qualis.

III. Qua ratione Prædestinatio se habeat ad Præscientiam, Dilectionem, Electionem, Prouidentiam; an sit huius pars & qualis.

IV. Quid sit liber vita; & quomodo se ad prædestinationem habeat.

Quæstio III. De Terminis seu obiecto Quod, & Effectibus Prædestinationis in specie.

Dubium I. An dona omnia & bona supernaturalia prædestinati sint effectus Prædestinationis.

II. An bona etiam quadam naturalia prædestinati,

qualia sunt eius existètia, vita, valetudo, vires, &c. sint effectus prædestinationis eiusdem.

III. An mala etiam qualibet eiusdem, cum pena, tum culpa, aut saltem permissio culpa, sint effectus Prædestinationis.

Quæstio IV. De causis Prædestinationis.

Dubium I. An & quam sit finalis causa totius Prædestinationis, quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso sine reddi possit ratio eiusdem, tum in genere, tum in specie.

II. An & qua ratione detur causa meritoria Prædestinationis ex parte Christi, seu generatim extra ipsum prædestinatum.

III. Quænam contra varias hæreses certa sint, circa causam meritoriam Prædestinationis ex parte prædestinati.

IV. Quid scholastici nonnulli de Prædestinationis causa ex parte prædestinati senserint.

V. Quanam sit vera sententia de causa Prædestinationis, ex parte prædestinati: & an omnino detur aliqua causa meritoria, vel dispositiua, seu imperatoria, vel causa per accidens, siue occasio, aut saltem conditio, sine qua non totius Prædestinationis ex parte prædestinati.

Quæstio V. De ordine ac progressu Prædestinationis in mente diuina.

Dubium I. An & qua ratione ac modo, seu ordine, Deus pro saluandis prædestinet peculiarem quandam gratiam congruam, electorum propriam.

II. Sine in mente diuina secundum rationem nostram aliquis ordo prioritatis, inter prædestinationem, vel præuisionem meritorum, seu meritorum in particulari, & electionem ad gloriam; alio siue actus, quibus Deus saluandis vult gloriam.

III. Vtrum in diuina mente Electio seu Prædestinatio ad

gloriam